

dummodo ad ipsas confirmandas seu renouandas ipsarum originalium sit presencia propter dicte cancellarie regulas necessario adhibenda. In ceteris autem premissis seu ipsorum aliquod concernentibus, que idem procuratores sanctitati vestre nomine meo lacius exposituri sunt, dignetur eadem sanctitas ipsis referentibus plenam dare fidem et eos tam generose in hiis, que vice mea, vt prefertur, digne, racionabiliter et juste postulauerint, exaudire, vt eiusdem ordinis prime lucis integritas non paciatur minorati luminis detrimenta sed per benignitatem apostolicam amplioris prerogatiue fulgoribus augeatur, pro quo sanctitati vestre et sacrosancte Romane ecclesie deuotis meis obsequiis mancipabor vtique sempiternis. Sanctitatem vestram etc.

2556. 1418 omkr. d. 10 Dec.¹⁾

Konung Erik XIII till någon kardinal med tacksägelse för falk-klockor och sporrar, med gifwa af en ring och med rekommendation för de Vadstena-munkar, som nu i ordens angelägenheter begifva sig till Rom.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl., fol. 75.

Premisso nostro sincero fauore. Amice dilecte. Regraciamur humiliter vobis pro sinceritatis vestre insigniis nobis exhibitis in calcaribus et falconum campanulis, que misistis, et remittimus dilectioni vestre non pro munere sed sinceri fauoris indicio vnum paruulum annulum, quem gratanter velitis accipere et in nostri memoriam possidere. Insuper, quia indulgencias monasteriorum sanctarum Marie virginis et Birgitte de Watzsteno dolenter audiuius per dominum apostolicum reuocatas et quia eadem monasteria et ordinem totis diligimus visceribus ac illorum felicem conseruacionem et profectum deuotissimis faucibus esurimus, idcirco dilectionem vestram, de qua magnam gerimus confidenciam, instantissime deprecamur quatenus latores presencium, dictorum monasteriorum et ordinis procuratores, velitis totis conatibus erga dominum apostolicum promouere et omnibus viribus cooperari, vt dicte indulgencie fiant confirmate et singula alia negocia, que habent in commissis, effectum debitum sorciantur, facientes in hoc nobis complacenciam singularem. In Christo valete feliciter et longue.

2557. 1418 omkr. d. 10 Dec.¹⁾

Drottning Filippa (till kardinalen Antonius)²⁾ med tacksägelse för en agnus Dei och för kardinalens välvilja för Vadstena klostets ombud vid kyrkomötet i Konstanz, samt med rekommendation för munkarne Johannes Haqvini och Johannes Hildebrandi, som nu i ordens angelägenheter begifva sig till Rom.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl. fol. 75.

Humillima nostri recommendatione in Domino reuerenter premissa. Reuerendissime pater et domine! Condignas graciaram acciones non immerito referimus

¹⁾ Odateradt; se noten under N. 2552.

²⁾ I codex A. 26, der detta bref äfven förekommer (fol. 136), står (fol. 135 v.) »ad cardinalem Aquilegensem». Jmfr N. 2553.

reuerendissime paternitati vestre pro ipso Agnus Dei, quod nobis sine vllis nostris meritis transmittere dignabatur de sue sinceritatis integritate et innata propria bonitate, vnde et concepimus non modicam audaciam supplicandi eidem reuerendissime paternitati vestre super quibusdam negociis ordinis sanctissime patrone nostre beate Birgitte, que totis iam desideramus affectibus, per vestre benignitatis interuentum erga sedem apostolicam promoueri; idcirco flexis in terram genibus reuerendissime paternitati vestre cum maxima exaudicionis confidencia principaliter committimus eorundem negociorum promocionem et felicem expedicionem instantissime deprecantes, quatenus latores presencium, dominos Johannem Haquini et Johannem Hildebrandi, fratres conuentuales monasterii Watzstenensis ordinis supradicti, michi karissimos in visceribus Ihesu Christi habere dignenimi humillime recommendatos, qui reuerendissime paternitati vestre exposituri sunt dictorum premissorum omnium qualitatem. Insuper in humilitatis spiritu regraciamur reuerendissime paternitati vestre pro promocionibus generosis exhibitis nobis multipliciter in personis procuratorum nostrorum et specialiter fratrum monasterii antedicti, quos tempore generalis concilii Constanciensis innata vobis benignitas totis nitebatur conatibus in omnibus suis negociis paternaliter promouere, quamuis protunc nullatenus erga apostolicum exaudicionis gratiam meruerunt; illudque deuotis adicimus precibus, ne reuerendissima vestra paternitas recuset accipere ipsas prefate sanctissime patrone nostre beate Birgitte reliquias, quas sibi cum presentibus transmittimus sola deuocionis et reuerencie causa, offerentes nos ad queque vestra beneplacita et grata seruicia in perpetuum beniuolam et paratam. Altissimus reuerenciam etc. . . . prospere, feliciter et longue. Datum . . . Philippa etc. vestra humillima . . .

2558.

1418 omkr. d. 10 Dec.¹⁾

Konung Erik XIII till någon romersk prelat med begäran om att hos påfven och kardinal Jordanus de Ursinis understödja de munkar från Vadstena, som nu i ordens angelägenheter begifva sig till Rom.

Afskr. i Codex 6 (Benz.) i Upsala Univ:s bibl. fol. 76.

Sincera in Domino salutacione premissa. Amice dilecte! Quoniam totis desideramus affectibus felicem conseruacionem et profectum monasteriorum sanctarum Marie virginis et Birgitte, ordinis sancti Saluatoris, in regno nostro Swecie fundatorum, et dolenter audiuius eorundem indulgencias fore inter regulas cancellarie summi Romani pontificis reuocatas; idcirco sinceritatem vestram attente postulamus quatenus velitis propter Deum et nostre deuocionis affectum esse latoribus presencium versus Romanam curiam per nos iam directis pro dictarum indulgenciarum confirmacione et aliis ordinis negociis impetrandis singulariter promotor fauorabilis et benignus erga sanctissimum in Christo patrem, dominum apostolicum et dominum Jordanum, cardinalem de Vrsinis, quibus estis notus et familiaris, atque apud eosdem, vt dicitur, plurimum exauditus, nosque id vobiscum libenter volumus promereri. Sinceritatem vestram conseruet Altissimus semper saluam.

¹⁾ Odateradt; se noten under N. 2552.